

per omnem se extendit superficiem, ac rursus, aquâ ad naturam
 pristinam redactâ, sese contrahit. Lac, si ei instilletur, coagulat;
 in vestem laneam effusum, maculam, quod peculiare divino
 huic oleo est, nullam linquit. Distincta esse *balsamum, opobal-*
samum, Xylobalsamum & Carpobalsamum, supra monebamus.
 Probationem ejus atque adulteria si voles, apud *Plin. lib. 12. c. 25.*
 deprehendes. Opobalsamum ipsum, aliud *Tolutanum* aliud *Pe-*
ruvianum, aliud *Arabicum, Europeanum aliud, aliud Judaicum.*
 De Tolutano videatur l. c. *Schröderus*, de Americano, prolixè
Nieremberginus, lib. 15. Hist. Nat. cap. 97. f. 369. De reliquis verò
D. Döringius in laudatâ superiùs diatribe sect. 2. ferè per totum.
 Nos cum studeamus brevitati, monstrare, non exhaurire fontes
 conabamur. Nunc bellariorū loco, saccharum ex parte etiâ gu-
 stare placet.

CAPUT III.

De

SACCHARO

§. I. Saccharum, quod *Zuccara* Arabes (& simili ferè
 sono Germani) *Græci σάκχαρον, Galli Sucre, Itali Saccharo, In-*
di Saccar vocant, & quo nos hodieque utimur, *utrum priscis no-*
tum fuerit, anceps omninò quæsitum est. Quâ in re utendum
 (ut ex *Guidone Pancirollo Henricus Salmuth loquitur*) distinctio-
 ne erit, quam adhibuit *Leonhardus Fuchsius lib. 1. de composit.*
Medicam. cap. 10. & lib. 1. paradox. Medicin. c. 35. Saccharum
 enim à *Fuchσιο* duplex constituitur: *Veterum & Recentiorum.*
 Illud duùm quoque generum. *Unum* nihil aliud, quàm quædam
 mellis species putatur, unde & de isto inter mella, veteres lo-
 quuntur. Nam & *Dioscorides & Galenus & Plinius* unanimes
 scripsêre, Saccharum esse mellis, in calamis concreti, genus, in
 Indiâ pariter & Arabiâ felici inventum & advectum inde. *Alte-*
rum genus Sacchari: *Vetustis familiare* Scriptoribus, ex arun-
 dinum radicibus exprimebatur. Ejusdemque vel in cibo vel
 potu, mellis loco, usus fuit. Hinc mel cannæ à *Mauritanis* no-
 minatum. Illa *Pliniana Simia, Solinus, cap. 65. de India* agens,
 inter alia sic scribit: *Quæ palustria sunt, arundinem creant, ita*
crassam, ut sis sis internodiis, lembi vice vectitent navigantes. E
radicibus ejus exprimitur humor dulcis ad melleam suavitatem.
Galenus quoque l. 4. de simplic. Medicam facult. c. 24. arundi-
num illarum in Ægypto nascentium, unde melleus ille humor ex-
 primebatur, meminit.

§. II.

Lib. 2. rer.
 memorab.
 recens in-
 vent. tit. 5.
 p. 287.